Dissertatio medica inauguralis de cynanche maligna ... / Eruditorum examini subjicit Jacobus Maury Morris, A.B., Virginiensis.

Contributors

Morris, Jacobus Maury.
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Jacobus Ballantyne, 1805.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nqpgcucm

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE MALIGNA.

3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE CYNANCHE MALIGNA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS MAURY MORRIS, A. B.
VIRGINIENSIS.

———Phœbe fave, novus
Ingreditur tua templa.——— TIBUL.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.
1805.

RICHARDO MORRIS,

ARMIGERO,

PATRI OPTIMO

BENIGNISSIMO,

SUMMA, QUA DECET, PIETATE,

ANIMOQUE GRATO,

D. D. C.QUE.

FILIUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

CYNANCHE MALIGNA.

Morbus de quo pauca in hoc opusculo disceptare consilium est, antiquos latuisse videtur. Medici Hispanici et Italici primum de eo aliquid literis tradiderunt *.

Cynanche Maligna ineunte seculo decimo septimo in Hispania grassata est, ex qua sese per Italiam et vicinas regiones late diffudit, et

* Severinus de recondita absessuum natura.

Mercatus de faucium et gutturis anginosis et lethalibus ulceribus.

Ætius Cletus de morbo strangulatorio.

Heredia disputationes de morbis acutis.

multos præsertim impuberes abstulit. Quousque morbus in hisce regionibus sævitiam exercuit, vel quo tempore in hanc insulam invectus est, minime pro certo constat; hoc autem fieri commercio quod inter hanc insulam et alias partes viguit verisimile est. Apud Britanniam clarus et eruditus FOTHERGILL hunc morbum primum descripsit. Ex scriptis ejus Cynanchen Malignam, anno salutis 1739, Londini invaluisse patet, et ex eo tempore in variis locis sese ostendere, et strages gravissimas edere solet. Anno 1748, Dr FOTHERGILL opusculum de hoc gravi morbo edidit, et ex historia quam tradidit admodum luculenta summam famam merito adeptus est. Ex quo tempore medicorum summi nominis attentionem vindicavit, quibus natura ejus haud parum illustrata est.

Ex facie admodum diversa quam in diversis ægris induere solet, lis inter medicos exorta, an Cynanche Maligna et scarlatina anginosa ad diversa morborum genera pertineant, vel gradu solum differant, diu acriter agitata fuit. Dr CULLEN clarissimus, cujus opinio maxima

observantia dignissima est, hos morbos, etsi in quibusdam similes, haud ex eodem contagio originem ducere strenue contendit, et ad hanc sententiam amplectendam argumentis sequentibus adductus est. SYDENHAMUS febrem scarlatinam epidemice grassantem, faucibus omnino illæsis, se vidisse testatur, quod contagium esse specificum, cuti præsertim admotum, innuere videtur; in iis quoque mali exemplis quæ CULLENUS observavit, etsi fauces plerumque aliquantulum laborabant, nonnulli ex hoc omnino immunes fuere; ad hoc quoque accedit, quod etsi in quibusdam signa, iis quæ in Cynanche Maligna eveniunt haud absimilia adfuere, hujusmodi exempla rarissime sese ostenderunt, et denique scarlatina anginosa morbus admodum levis est, dum alter sæpe mortem infert.

Ex altera autem parte non desunt medici, et sane præclari, qui omnia hæc signa utcunque varia ex eodem morbo proficisci opinantur, et affirmant nullum discrimen inter signa ho-

rum morborum intercedere, quod non in aliis, quorum origo nihilominus ex eodem contagio plane repetenda est, observare liceat. Exemplum hujus notissimum in variola conspicere possumus, qua nonnunquam tam leniter incedit, ut ægrum in lecto detinere vix necesse erit; alias autem formam ita malignam induit, ut nulla medicina ex periculo subtraheret; hæc autem signa admodum diversa ex eodem contagio provenire omnes consentiunt. Dr Cullen ipse concedit in gravioribus scarlatinæ exemplis, ubi proclivitas ad putredinem adest, medendi rationem iisdem remediis inniti quibus Cynanchi Malignæ occurritur. Cum igitur utrique eadem signa sæpe exhibent, eodem modo finiuntur, et iis remediis sæpe sunt debellandi, eos eandem causam quoque agnoscere colligere fas est.

Ad hoc quoque comprobandum plurimum contulit experientia Drs Gregory, praxeos medicinæ professoris, qui hunc morbum sub variis formis in eadem familia ex eodem conta-

gio plane provenientem conspexit *. Dr CURRIE idem affirmat †, et Dr HEBERDEN de hoc tractans sic habet, " atque hæc procul dubio vincet sententia, modo illud concedatur, cujus, ni fallor, ipse testis fui, nimirum inter plures pueros et puellas, qui, ut sæpe fit, in unis ædibus correpti sunt, hos febrem rubram, illos vero anginam fuisse expertos ‡." Et Dr WITHERING, quoque, qui ut discrimen inter Cynanchen Malignam et scarlatinam anginosam accurate statueret, haud parum operis huc collocavit §, in libro de hoc recentius edito || a prima sententia decedit. Auctoritate tam gravi innixus, opinionem supra traditam amplecti haud dubito.

---

* Audi prelect. Doctoris GREGORY.

† CURRIE's Med. Reports, vol. ii. p. 427. Note.

‡ HEBERDEN Comment. p. 25.

§ WITHERING on Scarlet Fever, 1778.

|| Ibid. 1793.

SIGNA MORBI.

Cynanche Maligna, exeunte autumno vel ineunte hieme, plerumque sese ostendit, et cum epidemice grassatur, omnes ejusdem familiæ præsertim juniores invadere solet, si non ab iis morbo laborantibus separentur; morbo obrepente, sanguis sæpe e naribus erumpit, vel menses tempore insolito profunduntur. Æger de languore, lassitudine, et ponderis sensu circum præcordia, conqueritur; hæc signa excipiunt rigores, quibus calor primum brevi duraturus tandem magis stabilis succedit; gravis capitis dolor urget, nonnunquam dorsum et juncturæ dolent, fauces aliquantulum rigescunt et calent, nausea gravis adest, et sæpe vomitus; alvus interdum fluit, præsertim si ætas tenera fuerit; in quibusdam facies pallida et depressa est, in aliis rubra et tumida apparet, oculorum acies obtunditur, qui aquosi fiunt, et tussicula sæpe

vexat cum vocis raucedine. Nocte appetente omnia signa ingravescunt, et somnum fere adimunt, dum mens leviter turbata est, vel etiam delirium accedit. Mane sudor prorumpit, qui signa nonnunquam mitigat: Hoc autem non semper evenit. Faucibus brevi post mali accessum inspectis, uvula, tonsillæ, velum pendulum palati, et aliæ partes vicinæ præter solitum rubræ et tumidæ apparent; tandem maculæ amplæ coloris albidi vel cinerei velum pendulum et uvulam obsidentes conspiciuntur: His sublatis ulcera fœda et serpentia in conspectum veniunt. Circiter secundum morbi diem, nonnunquam sane paucis horis post ejus insultum, facies, collum, pectus, et partes extremæ superiores, colore saturate rubro inficiuntur: Hic in digitis maxime conspicuus est, qui una cum aliis partibus intumescunt. In quibusdam cutis levis est, dum in aliis pustulæ exiguæ super brachia et pectus apparent; eruptione facta, vomitus et alvi fluxus decedunt, vespere febris magis ardet et delirium sæpe accedit. Pulsus frequentissimi evadunt, arteriæ enim sæpe centum et quinquagies, vel etiam centum et sexa-

gies in sexagesima parte horæ micant; sitis non ita urget, ac in aliis quibusdam morbis qui febre stipantur, urina parum ex statu sano recedit, nonnunquam præter solitum pallet, alias rubet; glandulæ submaxillares sæpissime tument, sed tumor sponte plerumque decedit, rarius in suppurationem ruit. Alvus nisi in infantibus, potiùs compressa est; deglutiendi facultas non ita impedita est, ac ex statu faucium crederemus. His per paucas dies perstantibus, signa tandem mitescere incipiunt. Pulsus minus frequens fit, color prius ardens non ita extorret, rubor cutis ad colorem fuscum vergit, vel omnino evanescit, cuticula decedit cum pruritu admodum molesto: ulcera in faucibus, crustis depositis, nitida et parum profunda apparent; collum detumescit; æger nunc somnum levem carpit, et cibi appetentia redeunte, salutem pristinam brevi recuperat. Morbo inclinato tumores hydropici sæpe superveniunt, sponte autem fere decedunt, vel iis quæ urinam movent facile depelli possunt. Qui gravius laboraverunt dolores nonnunquam iis qui in rheumatismo eveniunt haud absimiles

experti sunt; hi quoque viribus probe restitutis fere disparent. Cum morbus leniter incedit speciem jam memoratam fere induit; cum autem res aliter se habet, morbus signis multo gravioribus stipatur, febris magis vehemens accenditur, summa anxietas adest, delirium supervenit, et tumores circa collum mire crescentes suffocationem minitantur; ulcera sordida et nigra vel livida fiunt, dum spiritus maxime olet; ita ut ægro ipso æque ac adstantibus ingratissimum sit; nausea et vomitus ægrum gravissime fatigant; signa, efflorescentia cutis prodeunte, minime mitescunt; febris intenditur, pulsus maxime debilis et frequens fit; et ulcera late serpentia ad tubum eustachianum protenduntur, lingua materia tenaci et nigra obtecta est, et sanies tenuis et acris e naribus depluens partes vicinas exulcerat; similis quoque materia ex tonsillis effluit, quæ nauseam, anxietatem, ventris tormina, et diarrhœam, qua vires citissime diffluunt, ciere videtur. Signis ingravescentibus, sanguis nonnunquam ex naribus, ore, vel auribus, profluit, res-

piratio admodum difficilis evadit cum anima fœtidissima, maculæ lividæ in variis corporis partibus interdum suboriuntur. In nonnullis exemplis saliva pure quasi et sanguine commixta copiose ex ore defluit. Oculi nitore solito orbati caligine offunduntur, extrema frigescunt, sudor gelidus e variis partibus erumpit, urina et fæces ægro inscio elabuntur; singultus et convulsiones, mortis instantis prænuntia, tandem superveniunt. Etsi signa quæ hunc morbum comitantur, vel mitem, vel malignum describere aggressi sumus, nihilominus exempla subinde sese ostendunt in quibus tantum ex statu solito aberrat, ut, an morbus subsit, necne, statuere difficile est; et medicus clarus morbum nonnunquam adesse, nulla cutis efflorescentia nec faucium ulceribus comitantibus, affirmat; in hisce autem exemplis morbus ita levis est ut periculo omnino vacat.

In nonnullis casibus ita torpet alvus ut catharticis validissimis ad eam ciendam opus est. Hoc forsan ex statu cerebri pendere potest,

aliquid simile enim sæpe evenit in aliis morbis ubi delirium vel coma urgeat.

Observatur quoque ægros in hoc quam in aliis morbis acutis cibum ex carnibus confectum citius appetere.

Notatu dignum est calorem corporis in Cynanche Maligna esse ardentissimum, ut ex periculis Doctoris Currie factis probe compertum est; calor enim ad gradum 112 instrumenti Fahrenheitani ascendere visus est, quod in nullo alio morbo evenit.

CADAVERUM SECTIO.

Cadavera horum quos hic morbus abstulit, scrutantibus fauces inflammatione, suppuratione et gangræna corrupta sese obtulerunt.

Larynx et trachea tumidæ reperiuntur; et tunica harum interna præter solitum crassa,

materia tenaci et fœtida obducta fuit. Et etiam pulmones ipsi gangræna affecti in conspectum prodierunt *.

Sanies acris ex faucibus ad ventriculum et intestina delata efficit, quoque ut hæc incrassata et rubra appareant, et signa gangrænæ in diversis horum partibus sæpe conspiciuntur. Ventriculus et intestina materia sordida et mucosa sæpe oblinuntur.

Glandulæ circa collum tumidæ et duræ sunt, quod tabo ex faucibus absorpto debetur. Membrana qua nares interius obducuntur inflammata et exulcerata, nonnunquam gangræna correpta reperitur.

Ex auditu vitiato inflammationem per tubum Eustachii usque ad aurem porrigere concludere licet.

---

* *Vide* HUXAM on the Ulcerated Sore Throat.

CAUSÆ REMOTÆ.

Etsi nulla ætas homines prorsus immunes præstat ex Cynanche Maligna, si contagio ejus objecti fuere, juniores tamen præsertim adoritur; et infantes præ adultis eo multo sæpius detinentur; fœminas quoque quam mares; et debiles quam robustos sæpius invadit. Inter infantes, puellas, non solum sæpius, sed gravius quoque, laborare constat.

* "Duos curavi juvenes, qui annum vigesimum attigerant, item verum unum robustum, qui trigesimum annum excesserat. Præter hos autem neminem marem ex adolescentia egressum in hoc morbo me vidisse memini. At usu didici fœminas nunquam prorsus securas esse ab hac valetudine; quanquam vetulæ sint illi minus opportunæ quam juniores."

* Heberden Comment, p. 24.

Omnes quorum vires nimia fatigatione, diæta tenui et parca, morbis prægressis, evacuationibus insolitis, vel affectibus animi deprimentibus, fractæ fuerint, in hunc morbum facilius incidunt. Causam Cynanches Malignæ excitantem esse contagium omnes medici consentiunt. Cura utem hoc nunc in fauces, nunc in cutem maxime incumbit; et cur, his omnino illæsis, interdum nil præter febrem urgeat, minime compertum habemus; et sane sententiæ auctorum admodum variæ et discrepantes de natura hujus contagii, de modo quo effectus edit, de tempore quo in corpore delitescat, antequam sese manifestet, et de copia quæ ad morbum gignendum necessaria est, hoc tenebris omnino involutum probe demonstrant; non autem desperandum est; philosophi enim viam scientiæ ampliandæ multo feliciorem tandem ingressi sunt; experimentis et rebus factis solummodo confisi, et hinc incrementa, quibus variæ scientiæ nuperis annis tantum adauctæ fuere, profluxerunt, quod ex chemia tantum hodie exculta, maxime conspicuum est. Rebus igitur alta caligine adhuc mersis scientiam lu-

men tandem esse allaturum cum summo humani generis commodo spem fovere liceat; interea ignorantiam profiteri, quam conjecturis ineptis indulgere, multo magis decet.

DIAGNOSIS.

Ex facie admodum varia quam Cynanche Maligna induere solet, eam ex aliis morbis secernere non semper facile est, hoc autem maxime interest; si error enim in diagnosi stabilienda fuerit, ægro perniciem afferat.

Tres sunt morbi inter quos et Cynanchen Malignam tanta similitudo intercedit, ut signa quibus dignoscantur notare necesse erit. Morbilli ex Cynanche Maligna in hoc differunt, quod in priori morbo eruptio supra cutis superficiem eminet, et papulæ discretæ sunt; in altero autem eruptio magis diffusa est, et secundo vel nonnunquam primo morbi die sese ostendit,

super faciem et pectus comparens. Dum in morbillis tertio die maculæ primum in facie conspiciuntur, et extremas partes quarto vel quinto inficiunt. Hi autem morbi, tussi, sternutatione, oculorum madore et palpebrarum tumore, quæ signa in morbillis tam conspicua sunt, optime internoscuntur.

Cynanche Maligna ex cynanche tonsillari in his discrepat, quod, priori morbo, debiles, posteriori, robusti maxime objiciuntur; in hoc quoque pulsus plenus, validus, et durus est, et vires minime æque infirmantur, nec urget vomitus, ac in Cynanche Maligna, in qua deglutitio quoque multo minus difficilis est. Ad hoc quoque accedit, quod qui cynanche tonsillari antea laboraverunt eo reditui ejus opportuniores evadunt; dum Cynanche Maligna semel solum per vitæ decursum homines petit; saltem perpauci sunt qui iterum corripiuntur *. Mor-

* Audi Doctoris GREGORY prelect. HEBERDEN quoque, p. 24.

bum enim multo rarius revisere quam olim creditum est, observata Doctoris CURRIE infra tradita satis docent *.

Discrimen inter aphthas et hunc morbum satis patebit si ad partes affectas respiciamus; in aphthis enim ulcera totum os internum obsident ex linguæ marginibus ad œsophagum; dum in cynanche, tonsillæ, velum pendulum, et uvu-

---

* It is true, persons attending on patients under scarlatina are sometimes affected with sore throat, who have themselves formerly gone through the disease; but this is not attended by the scarlet efflorescence, or the general affection of the system with which the regular disease is ushered in. The affection of the throat is primary and topical, though I have known it so painful as to bring the system at large into sympathy. It seems to be produced by inhaling the breath of the patient, and is probably analogous to those partial eruptions of small pox which sometimes appear in mothers or nurses, who had that disease from the contact of infants who are under it. CURRIE's Med. Reports, vol. ii. p. 424.

la, maxime inficiuntur; ulcera quoque in aphthis exigua et rotunda sunt, in alio autem morbo late inequaliter serpunt; et aphthæ non contagio propagantur.

PROGNOSIS.

Quoniam hic morbus raro periculo vacat, prognosis in genere infausta est; in judicio autem de eventu hujus mali ferendo, naturam epidemici grassantis, ætatem ægri, et habitum corporis, prius respicere debemus; infantes enim morbi sævitiam maxime experiri solent. Quo certius quoque exitum prædicere possumus, ad durationem ejus advertere necesse erit; si enim æger post quintum diem superstes fuerit, et præsertim si morbus ad octavum provectus est, rarissime ei succumbit. Pulsus frequens debilis et irregularis, calor ardens, cutis arida, magna anxietas, et summa virium prostratio, morbum graviorem indicant. Si ulcera

nigrescunt vel livent, si colli intumescentia augetur, dum febris gravius urget, si anima fœtida, delirium vel coma adsint, æger in summo periculo versatur. Si eruptio subito recedit, malum signum est. Profluvium sanguinis e naribus, ore, vel auribus, pessime augurat, ita ut HEREDIA, medicus Hispaniensis, asserit se unum solummodo cognovisse ægrum qui post tale hemorrhagium convaluit. Si diarrhœa in provectiore hujus morbi stadio supervenit, viribus labefactis, omnia in pejus citissime ruunt.

In exemplis autem ubi febris lenis est, pulsus parum citatus, et vi et intervallis ictuum regularis; si morbi signa, ut primum cutis rubore suffusa est, sese gradatim subducere incipiunt, dum cuticula exuvias squamosas deponit, si ulcera parum profunda, nitida et benigna appareant, et demum si abest delirium, et æger somno placido fruitur, et cibi appetentia redit, morbum brevi esse decessurum jure speramus.

CURATIO.

In Cynanche Maligna medendi ratio vim febris compescendo maxime absolvitur; hoc enimmodo, signis admodum periculosis, quæ morbum provectiorem comitantur optime subvenitur. Medici olim, beneficio quod ex sanguine in cynanche tonsillari detracto oritur adducti, ad idem remedium in hoc quoque morbo confugerunt; experientia autem amplior huic plane adversatur; et omnes medici, usu artis versati, sanguinis detractionem rarissime esse usurpandam consentiunt, nisi forsan sanguis insolita copia caput versus deferri videtur, et fauces maxime intumescunt, et etiam in hujusmodi exemplis hirudines vel cucurbitulæ auxilium multo tutius præbeant. Nec magis convenit alvi purgatio, ut cuivis debilitatem qua morbus comitatur reputanti, perspicuum erit, diarrhœa quoque quæ vires tantum

infirmat, purgantium usum vetat. Alvus autem enematibus, emollientibus, vel fructibus maturis, leniter soluta tenenda est. Emetica, in initio morbi adhibita, sæpe morbum omnino depellunt, vel signa saltem multo mitiora reddunt. Dr WITHERING emetica in hoc morbo tanti æstimat, ut ea in gravioribus mali exemplis bis in spatio viginti quatuor horarum assumenda jubet *: hoc forsan in primo morbi insultu tuto fieri potest; si autem morbus provectior fuerit, summam debilitatem inducere periclitatur.

Inter omnia remedia quæ in Cynanches Malignæ auxilium hactenus proposita fuere, affusio aquæ frigidæ primas partes merito tenet. Dr GERARD hoc remedium primum usurpavit †. Dr CURRIE hoc ulterius prosecutus est, et cum felicissimo eventu; et Dr GREGORY, in hac Academia medicinæ praxeos professor, effectus

* WITHERING on Scarlet Fever, 1778.

† CURRIE's Med. Reports, vol. i. p. 67.

bonos in sua familia primum expertus, vires ejus saluberrimas comprobavit ‡. Dr CURRIE affusionem frigidam vespere, cum exacerbatio febrilis fere evenit, commodius adhiberi monet, ullo autem diei tempore convenit. "When there is no sense of chilliness present, when the heat of the surface is steadily above what is natural, and when there is no general or profuse sensible perspiration *." Nunquam usurpanda est si quædam corporis partes algent, etsi aliæ præter solitum incalescant; sub his regulis quo citius post mali accessum ad affusionem decurritur, eo eventus felicior erit; et, ut primum signa post primam affusionem redintegrantur, iteranda est, donec calor decrescat et pulsus pacatiores fiant. Nonnunquam decies vel etiam duodecies ad eam confugere necesse est, ut effectus optatos præstet; postea affusione tepida aqua nempe ad gradum 87 vel 97 FAH calefacta longioribus intervallis interposi-

‡ CURRIE's Med. Rep. vol. ii. p. 442.

* Ibid. vol. i. p. 18.

tis uti liceat, qua vis febris optime plerumque vincatur: Observandum est, hoc remedium, omni laude dignum, imperite usurpatum pessimos effectus edere *. Si morbus ita processerit ut affusio frigida non tuto in auxilium vocari potest, vel si calor non ultra sanitatis normam ascenderit, et cutis humida est, cum signis putredinis, vinum et cinchona utilissima inveniuntur. Vinum libere propinandum est, et cinchona dosi amplissima, modo ventriculus eam non rejiciat. Cum autem per os non assumi potest, quod sæpe in infantibus evenit, infra infundenda est, guttis quibus-

* Quod ex exemplo sequenti a Doctore CURRIE tradito satis patet: It has come to my knowledge, that in two cases of scarlatina, of the most malignant nature, the patients have been taken out of bed, under the low delirium, with the skin moist and cool, and the pulse scarcely perceptible. In this state, supported by the attendants, several gallons of perfectly cold water were madly poured over them, on the supposed authority of this work. I need scarcely add, that the effects were almost immediately fatal.

dam tincturæ opii adjectis, quo facilius retineatur. Ulcera faucium attentionem assidue exposcunt, et gargarismis antisepticis sæpius lavanda sunt, huic consilio vinum rubrum et aqua æquali mensura commixta bene accommodata sunt.

Infusum capsici annui nuper maxime laudatum est, et gangrænæ faucium fortiter occurrere dicitur. Infantes raro ad fauces gargarizandas facile adducuntur, in hisce exemplis id ope syringis injicere debemus, et hoc semper convenit antequam æger aliquid devorat, quo cavetur ne sordes putridæ in ventriculum descenderint; quod mali signa haud parum intendere solet.

Crustas ulcerum digitis vel idoneo quovis instrumento detrahendi consuetudo olim invaluit; hoc autem alienum est vel potius nocet. Quod ad usum exulcerantium in Cynanche Maligna attinet, medici dissentiunt; cum autem inflammatio vehemens est, cum beneficio forsan usurpari possunt.

Tumores hydropici qui convalescentes ab hoc morbo adoriuntur, paucis diebus sponte plerumque decedunt; sin aliter, diureticis, ut supertartrite potassæ vel digitali facile abigi possunt.

Diarrhœæ qua morbus in provectiore ejus stadio fere stipatur, astringentibus et opio optime occurritur.

Hemorrhagiæ e naribus, ore, vel auribus, admodum periculosæ ægrum brevi tollunt, si non statim compescuntur, hoc consilio medicamenta ex iis quæ astringunt partibus unde sanguis profluxerit admovenda sunt.

Diæta ægrotantium lenis esse debet; ex lacte, sero, vel butyro lactis, vel aliis quæ faciliora sunt concoctu, confecta.

Pro potu communi cerevisia tenuis, *cider*, vel serum lactis, concedi possunt; et si debilitas insignis adest, vinum aqua dilutum melius conveniet; cubiculum in quo æger detinetur aeris

perflatibus libere exponendum est, et mundities summa cura servanda est; hoc enim, ut auctor elegans monet, " simul occurritur morbo et precavetur ab ejus contagione *."

---

* GREGORY Conspectus Med. Theoret. vol. 2. p. 288.

FINIS.